

spes papatus omnes sustinet. An vero hic etiam magister tuus²⁸ tibi de Calu-
nismo suspectus fieri incipit? Quem nos autorem habemus interpretationis
eius, quam oppugnat charta tua non alium. Etsi et de nostrorum hominum
operis honorificentius aliquanto sentimus quam illa ipsa charta tua, quos vi-
5 dendum tibi quomodo aequipares nedum superes ijs, quae tu in nouum testa-
mentum moliri te profiteris minando, neque vero dubitamus, te de hac com-
monefactione nostra mirari, ex antiquitate pia et erudita, et graecis theologis
esse, qui tam scribat tuis rationibus contraria, cum in charta tua audacissime
scribas, omnium sanorum fidem et conscientiam huic versioni contradicere
10 et nuper excogitatam vniuersae antiquitati ignotam esse et deprauare scriptu-
rae testimonia et malam esse et impiam etc.²⁹ ^fSed audimus, te hunc locum
Gregorij flagitiosa audacia eludere, cui audaciae tuae respondebitur, ita vt
meretur, si publicam feceris, priuata enunciari non decet. Magis tamen mira-
beris, si ostendamus tibi D. Lutherum eandem versionem aliquando secutum,
15 vt mireris igitur vide testamentum latinum ipsius et reperies verba controuer-
siae tuae Lutherum interpretari secundum Gregorianam formulam his verbis:
„oportuit Christum coelo suscipi“,³⁰ ita non tantum antigregorianum, sed eti-
am antilutheranum te habebimus, quod tibi ad vulgus multo erit odiosius
quam si vniuersae antiquitate opponas aut saltem nimis morosus et insolens
20 habebis, qui quod Lutherus ferre potuit, id in Gregorio et nobis execreris.^f
Etsi autem grammaticam tantum responsionem ad te instituimus in praesen-
tia, cum res ipsa, de qua controuersia est, talibus chartis, qualis tua et haec
nostra est non possit explicari, ne tamen autoritate tantum magistri tui ad-
uer-[B 2v:]sus te vtamur, considera etiam locum totum in actis et minus eris
25 iniquus Gregorio et collegis tuis. Explicat ille et confirmat caput id, quo pro-
fitetur ecclesia in symbolo, Christum ^gde terris et a nobis, vt Lucas scribit,
sublatum,^g ascendisse in coelos et inde, id est e coelis, ^hquo ascendit,^h non
aliunde venturum esse seu reuersurum in terras ad iudicandum de viuus et
mortuis³¹ sicut Christus ipse de se praedicat synedrio Iudaico: Ante igitur,
30 quam e coelis in terras reuertatur, interea oportuit eum οὐρανὸν δέξασθαι³² id
est et coelum occupare ascendendo in hoc et inferendo in hoc humanam
naturam suam, quae ibi sedem habet – nam diuinitas neque coelo, neque
terra includitur, cum sit infinita – et, quod consequens est, coelo capi seu

^{f-f} Nicht in A.

^{g-g} Nicht in A.

^{h-h} Nicht in A.

²⁸ Gemeint ist der Braunschweiger Theologe Martin Chemnitz.

²⁹ Vgl. Selnecker, „Commonefactio“, A 3r, unsere Ausgabe, Nr. 4: Commonefactio (1571), S. 312f.

³⁰ Vgl. die Wittenberger Vulgata-Revision von 1529. Vgl. WA.DB 5, 728: „et miserit eum qui praedicatus est vobis Ihesum Christum, quem oportebat coelo suscipi donec restituantur omnia.“ (Novum testamentum. Vuittembergae recognitum. 1529).

³¹ Vgl. Act 1,11.

³² Vgl. Mk 14,62.